

tale, § *Falsam*. ff. de *Condit. et demonstrat.* habetur « Falsam causam legato non obesse, » quia videlicet censetur impulsiva, et non motiva : sive, ut loquitur textus : « quia ratio legandi legato non cohæret, nisi probetur alias legaturum non fuisse. »

197. *De quibus mentio fit facienda in rescriptis justitiæ?* — Quæritur IV, De quibus oporteat facere mentionem in rescriptis, ne veluti tacita veritate obtenta, censeantur subreptitia? Rep. I. Loquendo de rescriptis justitiæ, seu ad lites, oportet imprimis in posterioris impetratione facere mentionem prioris, ut dictum n. 85. et seqq. Deinde exprimenda est conditio personæ privilegiatæ (si fuerit talis) contra quam impetratur rescriptum ad lites; ut puta, si huic competit privilegium, ut per rescriptum conveniri non possit, nisi facta de ipso mentione; ut c. *Cum ordinem*, 6. h. t. Vel si sit persona miserabilis, juxta Innocentium in c. *Significantibus*, de *Offic. delegat.* Aut scholaris, ut tradit Rebuffus, tract. de *Privileg. scholar.*, privileg. 91. et amplius declarat Menochius, de *Arbitrar. judic.*, lib. II. casu 202. n. 39.

198. *De quibus mentio fit facienda in rescriptis justitiæ?* — Rursus in rescriptis justitiæ facienda est mentio de prudentia litis, et processu coram alio iudice inchoato, quando talis subest, c. *Inter Monasterium*, de *Sentent. et re judic.* ac notat Glossa in c. *Prudentiam*, § *Sextis*, et ibi Abbas n. 9. de *Offic. delegat.* et alii. Imo tunc etiam explicandum est, coram quo iudice lis pendeat, ecclesiastico vel sæculari, ordinario, vel delegato. Menochius, loc. cit. n. 34. allegans alios. Item, si in causa jam conclusum est, aut sententia lata, vel negotium ipsum per laudum arbitri, aut transactionem determinatum, etiam istud in impetratione rescripti justitiæ est exprimendum. Menochius, ibid. n. 40. et seqq. cum aliis, fuse de istis et aliis huc attinentibus discurrens. Accedit ratio, quia omnia hactenus enumerata, sunt tales qualitates, quæ si narratæ fuissent, principem movere poterant ad non concedendum rescriptum, vel id sub certis dumtaxat restrictionibus concedendum; et consequenter eorum taciturnitas causat subreptionem.

199. *Ac in rescriptis beneficialibus?* — Resp. II. Loquendo nunc de rescriptis beneficialibus, quibus Pontifex cuiquam confert, aut conferri mandat beneficium ecclesiasticum, oportet in eorum impetratione imprimis facere mentionem alterius beneficii,

si quod impetrans jam habet, sive illud sit sufficiens ad honestam clerici sustentationem, c. *Cum adeo*. 17. h. t. et c. *Cum teneamur*. 6. de *Præbend.* Sive insufficientis, et quantumvis modicum, c. *Si proponente*. 42. h. t. et c. *Si motu*. 23. juncta Glossa §. *Taceatur de Præbend.*, in 6. Sive etiam sit perpetua vicaria, c. *Postulasti*. 27. h. t. Insuper debet exprimi, si beneficium præhabuit dignitas, personatus, vel aliam hujusmodi qualitatem habeat, c. *Ad aures*, 8. h. t. Item, si quis alicubi jam receptus est in canonicatus nondum percipiat, per posteriores litteras hoc supprimentes non potest obtinere beneficium in alia Ecclesia, c. *In nostra*, 32. h. t. Generaliter enim in impetratione rescripti beneficialis oportet fieri mentionem non solum de jure, quod quis habet in beneficio jam obtento, ac possesso (et vocatur jus in re) sed etiam de jure ad rem respectu beneficii, vel præbendæ consequendæ, arg. cit. c. *In nostra*, ac notat Abbas, ibid. n. 2. et seqq. Imo etiam illius beneficii mentio facienda est, quo quis injuste spoliatus fuit : nam per spoliationem de facto attentatam, non perdit quis jus in re, sive titulum beneficii, sed tantum possessionem ejus. Abbas, loc. cit. n. 10.

200. *Rescriptum impetratum contra consuetudinem, vel statutum particulare ecclesiæ, sive loci, non valet, nisi fiat mentio hujus.* — Resp. III. Rescriptum quodcumque gratiæ, vel ad beneficia, impetratum contra consuetudinem, sive statutum particulare cujuscumque Ecclesiæ, seu loci, non valet, nisi fiat mentio ejusdem, saltem per clausulam generalem derogatoriam : « Non obstantibus statutis, et consuetudinibus contrariis. » Ita desumitur ex c. *Constitutus*. 19. h. t., et notat Abbas, ibi, n. 6 et 7, ubi addit, quod si statutum sit juratum, etiam de juramento debeat fieri mentio. Pirhing, h. t., n. 72, et alii. Ratio est, quia mens Pontificis non est, velle derogare laudabilibus locorum consuetudinibus, vel statutis, nisi id exprimat, text. clar., cap. I, de *Constitut.*, in 6. Concordat, c. *Cum aliquibus*, 4. h. t., in 6, ubi, ut talibus consuetudinibus, et statutis per rescriptum derogetur, inserenda censetur clausula derogatoria : « Non obstantibus ejusdem Ecclesiæ privilegiis, consuetudinibus, vel statutis, juramento, confirmatione apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis. » Hinc defectu talis clausulæ cassatur, in c. *Constitutus*, 19. h. t.

Rescriptum beneficiale, quod fuerat impetratum non facta mentione de certo numero canonicorum, qui per statutum juramento firmatum, et a Romano Pontifice confirmatum, constitutus fuerat.

201. *In impetratione rescriptorum, dispensationum, et concessionum, quænam omnia sint exprimenda.* — Cæterum, quænam omnia in impetratione aliorum rescriptorum, dispensationum, atque concessionum exprimenda sint, ex propriis locis, atque considerata qualitate cujuslibet negotii desumendum erit. Generaliter id solum dici potest cum Glossa, in c. *In nostris*, §. *Non vacaret, de Concess. præbend.*, ad hoc, ut rescriptum non sit vitiosum, non solum ea, quæ juris sunt, narranda esse, sed etiam ea, quæ sunt facti. Nam, ut alia Glossa, in c. *Super litteris*, §. *Litteras*, h. t. inquit, ubicumque talem, quis veritatem tacuit, qua expressa Papa litteras non dedisset (vel saltem non eodem modo, nec absque alia limitatione, ut addit Covarruvias, lib. I, *Var. resolut.*, cap. xx, n. 5, et Sanchez, cit. disp. 21, n. 11, cum aliis) rescriptum inutile fit.

202. *Motus proprius principis quid? Habet locum, etiamsi præcesserit supplicatio partis.* — Quæritur V. Utrum motus proprius tollat vitium subreptionis in rescriptis? Ubi sciendum, quod impræsentiarium per *Motum proprium* intelligantur litteræ, seu rescripta summi Pontificis, in quibus hæc clausula, *motu proprio*, inserta habetur, prout liquet, ex c. *Si motu proprio*, 23, de *Præbend.*, in 6, ibid : « Motu quoque proprio tunc solum gratia fieri censeatur, cum hoc expresse cautum fuerit in ea. » Et hoc adeo verum est, quando princeps exprimit, se motu proprio concedere, dicatur motu proprio concessisse, quamvis constet hujusmodi gratiam fuisse a postulante petitam. Glossa, in d. c. *Si motu proprio*, §. *Expresse*; Menochius, de *Arbitrar. judic.*, casu 201, n. 79; Barbosa, clausul. 79, n. 6, citans alios. Licet enim gratia ab impetrante fuerit petita, tamen per clausulam istam significat princeps se non illa petitione, sed proprio motu, seu spontaneè, ac ex mera liberalitate sua, fuisse ductum ad illam concedendam, sicque hæc duo non repugnant. Quin etiam idem operatur motus proprius ad instantiam partis concessus, ac motus proprius ex mera principis liberalitate procedens. Barbosa, cit. n. 6 et 7, cum aliis. His præ notatis,

203. *Motus proprius supplet vitium subreptionis ex taciturnitate veri proveniens. Provisio*

de secundo beneficio motu proprio Papa facta valet, etiam non facta mentione de præhabitis beneficiis. — Resp. I. Motus proprius, sive clausula *Motu proprio* in rescriptis Pontificiis apposita, supplet vitium subreptionis ex taciturnitate veri necessario exprimendi proveniens. Ita doctores universi, uti testatur Sanchez, lib. VIII, de *Matrim.*, disp. 21, n. 47. Idemque patet, ex cit., cap. *Si motu proprio*, et Clem., *Si Romanus*, 4, de *Præbend.*, ubi valere dicitur provisio de beneficio, cuiquam facta per Papam *motu proprio*, etiam non habita mentione de beneficiis prius per ipsum obtentis, quæcumque ea sint, et quantacumque; cum tamen alioquin, sive secluso motu proprio, taciturnitas præhabiti beneficii, quantumvis modici, inducat vitium subreptionis, ac nullitatem provisionis, ut d. c. *Si motu proprio*.

204. *Idem dicendum, si motu proprio per legatum Sedis apostolicæ conferatur secundum beneficium. Non tamen potest tunc provisus utrumque beneficium simul retinere, sed tenetur eligere, quod maluerit.* — Et hoc extenditur, etiamsi hæc clausula apponatur a legato Sedis apostolicæ; ut docet Glossa communiter recepta, cap. ult., §. *Mentio de Offic. legat.*, in 6, ac tradit Barbosa, loc. cit., n. 17, citans alios. Undè etiam in hoc casu tenet collatio secundi beneficii, non obstante taciturnitate alterius jam præhabiti : quamvis provisus ambo beneficia (si tamen cæteroguin sint incompatibilia) simul retinere non possit, sed ex eis eligere teneatur, quod maluerit retinere, c. *Gratia*, 7, de *Rescript.*, in 6, ac loquendo etiam de priori casu, tradit Glossa, in cit. c. *Si motu proprio*, §. *Beneficium*. Siquidem per talem clausulam Papa, vel ejus legatus, non censetur dispensare in pluralitate beneficiorum, c. *Non potest*, 21, de *Præbend.*, in 6.

205. *Motus proprius purgat taciturnitatem, non solum in beneficialibus, sed in omnibus rescriptis gratiosis.* — Ampliatur quoque hic effectus motus proprii, ut locum habeat non solum in beneficialibus, sed etiam in omnibus rescriptis, seu concessionibus gratiosis; adeo, ut in his pariter purget taciturnitatem, sicque tollat vitium subreptionis. Quia non est dare rationem diversitatis, et ubique gratia pendet a mera voluntate, ac liberalitate principis. Felinus, in c. *Ad aures*, n. 6, h. t.; Rebuffus, in *Praxi Beneficiorum*, tit. de *Mandatis apostolicis*, § *Motu proprio*, effect. 29; Barbosa, cit. clausul. 79, n. 17.

206. *Dantur tamen casus, in quibus motus proprius non firmat gratiam concessam.* — Resp. II. Dantur nihilominus nonnulli casus, in quibus clausula *motu proprio* non firmat gratiam concessam; idque ob defectum voluntatis ex parte principis gratiam concedentis. Ita Abbas, Felinus, Menochius, et alii in progressu citandi, qui proinde hactenus dicta in casibus illis limitanda censent.

207. *Ut si fiat cum expressione causæ falsæ: sicut hæc per solum principem, v. g. Papam, opposita fuerit.* — Imprimis itaque motus proprius non prodest, quando fit cum expressione causæ falsæ: sive dein talis causa falsa fuerit antea per supplicentem allegata (ut in obreptione contingit, prout hanc quidam doctores distinguunt a subreptione per solum veritacitatem commissa, atque istam graviorem aestimant: juxta dicta, num. 153) sive motus proprius cum expressione causæ falsæ per principem sponte, ac nemine alio petente, sicut absque vitio subreptionis, concessus sit. Abbas, in c. *Quia circa*, n. 7, de *Consang. et affinitat.*; Felinus, loc. cit., n. 9; Menochius, de *Arbitrar. judic.*, cas. 201, n. 83; Sanchez, lib. VIII, de *Matrim.*, disp. 21, n. 32; Barbosa, loc. cit., n. 23, et alii. Ratio est: quia, dum princeps, puta Papa, exprimit causam concessi a se motus proprii (de causa finali, seu motiva sermo est, non de mere impulsiva, juxta dicta, n. 184 et seqq.) hoc ipso cognoscitur intentio ejus, quod nolit concedere gratiam ejusmodi, si causa a se expressa non subsistit; ergo tunc motus proprius nihil operatur; alioquin enim firmaretur gratia contra intentionem concedentis, nobis ex appositione causæ jam patefactam; quod est absurdum.

208. *Motus proprius non firmat gratiam, quando tacetur inhabilitas personæ.* — Secundo motus proprius non firmat gratiam, quando tacetur inhabilitas personæ, pro qua scribitur: ut si provisor de beneficio patiat defectum natalium, vel vitium corporis, aut sit bigamus, sive carens legitima ætate, vel alias irregularis. Nam clausula *motu proprio* non supplet tales defectus: neque enim ipsa continet dispensationem super inhabilitatibus, seu defectibus personæ. Glossa, in clem., *Si Romanus*, §. *Validam, de Præbend.*; Felinus, loc. cit., n. 7; Menochius, ubi supra, n. 81 et seqq.; Sanchez, de disp. 21, n. 49; Barbosa, num. 18 et alii.

209. *In hoc tamen casu vitium personæ non*

potest objici per viam subreptionis, sed per viam juris. — Solummodo nota, quod in tali casu vitium personæ non possit objici per viam subreptionis (nam persona nihil petit, sicut subreptionem non commisit, supponitur enim, quod motus proprius sponte, ac nemine petente, per principem fuerit expeditus) sed tantummodo poterit illud opponi per viam juris: quia nimirum personæ, talibus defectibus laborantes, jure communi sunt inhabiles ad consequendam hujusmodi gratiam, v. g. beneficium ecclesiasticum; neque vi memoratæ clausulæ motus proprii reperitur facta cum ipsis dispensatio aliqua. Felinus, Sanchez, ubi supra.

210. *Motus proprius nihil operatur in præjudicium tertii.* — Tertio clausula, *Motu proprio*, nihil operatur in præjudicium juris tertii; ac proinde non firmat gratiam, quando tacetur qualitas respiciens jus tertii, ut puta, si Papa cuiquam motu proprio conferat beneficium, quod est juris patronatus, et de hoc nulla fiat mentio. Abbas, in c. *Ad aures*, n. 5, et ibi Felinus, n. 8, h. t., generaliter docens, quod motus proprius non tollit jus quæsitum alteri in re, vel ad rem. Barbosa, cit. clausul. 79, n. 19; Rebuffus, loc. cit. §. *Nono non tollit*; Sanchez, n. 50, et alii. Ratio est, quia Papa non censetur velle præjudicare juri tertii, nisi id exprimat, c. *Quamvis*, 8, h. t., in 6, junctis dictis supra, num. 117. Ac proinde motus proprius non firmat gratiam in præjudicium tertii, quando nulla de hoc fit mentio: idque non ex defectu subreptionis (hæc enim locum non habet, ubi princeps gratiam sponte, ac nullo petente concessit); sed quia non apparet de voluntate principis concedentis: nam princeps in dubio, ac nisi aliud exprimat, non præsumitur velle præjudicium tertio facere, ut dictum.

211. *Alia clausulam Motu proprio concernentia. Remissive.* — Plura alia clausulam *Motu proprio*, ejusque effectus concernentia, videri possunt apud Rebuffum, in cit. tit. *De Mandatis apostolicis*, §. *Motus proprius*, ubi quadraginta septem effectus hujus clausulæ per ordinem refert, ac postmodum sexdecim enumerat casus, in quibus ipsa nihil operatur. Eandem clausulam una cum suis effectibus, fuse explicat Barbosa, in cit. clausula 79, per totum. (ADNOTATIO XXVI).

§ IX.

DE ERRORIBUS, ET RASURA RESCRIPTORUM.

212. *Error latinitatis manifestus vitiat rescriptum.* — Quæritur I. Utrum error latinitatis vitiet rescriptum, vel testamenta aut publica instrumenta? Resp. I. Manifestus error latinitatis vitiat rescriptum Papæ; dummodo non sit omnino levis. Patet hoc ex c. *Ad audientiam*, 11, h. t., ubi Pontifex inquit: « Quibus litteris, quoniam manifestum continent in constructione peccatum, fidem te nolumus adhibere. » Et additur, « manifestum. » Nam, si error latinitatis foret dubitabilis, aut posset adhuc salvari per subauditionem, vel quamdam figuram, non vitietur rescriptum. Abbas, in cit. 1, *Ad audientiam*, n. 2, et ibi Felinus, n. 3 et seqq., ubi undecim modis limitat allegatam decretalem, junctâ Glossa, in c. *Forus*, §. *Parte ablata, de Verb. signif.*, ubi varias tales figuras explicat.

213. *Idque ob præsumptionem falsificationis.* — Accedit ratio, quam ponit Glossa, d. c. *Ad audientiam*, §. *Manifestum*. Quia rescriptum Domini Papæ transit per multas manus, magnaque maturitate decoquitur; ergo verisimile non est, quod ex tam multis, tamque doctis officialibus nullus viderit patentem, simulque gravem errorem latinitatis, aut si vidit, ipsum reliquerit incorrectum. Unde oritur præsumptio rescriptum adeo vitiosum processisse extra voluntatem Papæ, et ab alio falsificatum esse.

214. *Dummodo error ille non sit omnino levis.* — Additur notanter in conclusione, « dummodo non sit omnino levis. » Secus enim dicendum est de tam levi errore; ut puta defectu unius litteræ, vel syllabæ: nam talis facilius subterfugit oculos plurium, præsertim gravioribus negotiis distentorum, ac proinde non vitiat rescriptum; ut c. *Ex parte*, 11, de *Fide instrument.*, ubi « Rescriptum apostolicum, pro eo, quod in hac dictione, spoliarunt, hæc figura O, deerat, » declaratur vitiosum non esse. Concordat textus, in l. *Qui habebat*, ff. de *Manumissis testam.*, ubi in casu, quo testator manumissurus servum, quem unicum habebat, vocavit eum *Crasticum*, cum appellaretur *Cratinus*: respondetur, « Nihil obesse, quod in syllaba errasset. » Unde Bartolus in summario ibidem inquit: « Error in syllaba non nocet. »

215. *Nec aliunde appareat de veritate litte-*

rarum apostolicarum. — Quinimo, quamvis manifestus latinitatis error præsumptionem pariat de falsificatione litterarum apostolicarum, ut dictum: eam nihilominus esse præsumptionem juris tantum, et quamdiu aliunde de veritate litterarum non apparet, probabile censet Engel, h. t. num. 13. Et favet textus in l. *Illicitas*, §. *Veritas*, ff. de *Offic. præsid.* ubi dicitur: « Veritas rerum, erroribus gestorum non vitatur. » Et consequenter, ubi aliunde apparet de veritate litterarum apostolicarum, ejusmodi error latinitatis, qui ob defectum scriptoris, ac nimiam occupationem, negotiorumque multitudinem, aliquando irrepere posset, non vitabit rescriptum apostolicum. Nec obstant verba cit. c. *Ad audientiam*, h. t. ibi: « Fidem te nolumus adhibere. » Nam hæc procedunt, quamdiu aliunde non apparet litteras esse legitimas, ac veras.

216. *In testamentis, et aliis instrumentis, error latinitatis non præjudicat.* — Resp. II. Loquendo nihilominus de testamentis, et aliis instrumentis, v. g. contractuum, quæ alieni tabellioni sine revisione aliorum officialium curiæ scribenda committuntur, et in quibus proinde error latinitatis ex vitio scribentis facilius irrepere potest, non præjudicat ejusmodi error reliquæ dispositioni. Ita Glossa fin. in cit. c. *Ad audientiam*, et ibi Abbas n. 3; Felinus, n. 8, et alii, passim. Idque patet ex l. *Errone*, C. de *Testament.* ubi summarium sic habet: « Error scribentis veritati non nocet; et ideo, si apparet de voluntate testatoris, licet per errorem scribentis scripta non fuerit, habetur pro scripta. »

217. *Ratio disparitatis inter hæc, et rescripta apostolica.* — Accedit ratio disparitatis inter rescripta apostolica, et instrumenta notariorum; quia hæc non transeunt per tam multas manus, sicuti rescripta: ac proinde facilius in illis potest irrepere falsa latinitas aut alius error. Æquum proinde est, ut talis error instrumentorum non vitiet, neque de falsitate suspectum reddat, quamdiu cæteroquin sufficienter appareat de voluntate testantis, sive disponentis.

218. *Error in nomine, vel pronomine, non vitiat testamentum vel aliam dispositionem, si constet de corpore: idque varie extenditur.* — Quæritur II. Quid dicendum de errore in nomine, vel pronomine, et an vitiet rescriptum, vel alia instrumenta? Resp. I. Error in nomine, vel pronomine, non vitiat testamentum vel aliam dispositionem, dummodo constet